

nioris ratione personae infirmae, quae ad Ecclesiam accedere non potest. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 71. Porro probabilius solus privilegiatus, ejusque domestici satisfaciunt pracepto Missae, quando diebus dominicis ac festis in suo oratorio privato Missam audiunt; quia privilegium pro his solis datum esse, satis manifeste colligitur ex communi clausula: *Volumus autem ut, qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia. Confirm.* ex declaratione Clem. XI. ab anno 1704. Ad familiam autem pertinere censentur pater, mater, nurus et gener, uxor, filii, filiae, nepotes et alii per lineam rectam descendentes et manentes sub regime parentum et cohabitantes cum privilegiato, item ejus servi et ancillae. Unde sequitur, quod alii hospites et advenae non satisfaciant pracepto, qui in tali oratorio privato audiunt Missam. Vide *Pasq.* q. 659., *Gobat* T. 5. n. 256., *Ilsung.*, *Jansen.* P. 2. cas. 95. n. 14. contra *Azor, Henrig.*, *Palao et Burgh.* Cent. 3. cas. 60. ubi resolvitur, quod qui libet assistens Sacro in tali oratorio satisfaciat pracepto Ecclesiae. Juxta communem satisfaciunt etiam extranei audiendo Missam in oratoriis Episcoporum, Regularium (ut dictum est n. 451.), Hospitalium, Sodalitatum, quia cum istae domus non sint privatae, nec eorum oratoria censentur esse privata.

De causis excusantibus ab audiendo Sacro vide P. I. n. 17. 18. 202. 203. 211. queis resolutionibus additae sequentes.

483. I. Servi et ancillae propter illos labores vel ministeria excusantur ab audiendo Sacro, quae secundum communem aestimationem et vivendi modum sunt necessaria et incompossibilia cum audizione Sacri, qualia ministeria sunt educere vel custodire gregem, domum, infantem etc. Neque peccant domini, qui talia injungendo impediunt auditionem Missae, quia est moralis necessitas horum ministeriorum; si vero non sint necessaria, vel possint differri in aliud tempus, peccant domini impedientes auditionem Missae; famuli vero, si sine gravi incommmodo detrectare non valeant, excusantur saltem pro aliquot vicibus: si tale impedimentum non necessarium foret continuum, tenerentur dominum deserere. *Suar. de Euch.* D. 88. Addit *Palao* T. 22. punct. ult.: Si famuli vel ancillae cum mediocri vigilia vel molestia possent praevenire, tenerentur praevisum impedimentum praeveniendo tollere.

484. II. Excusantur itinerantes, qui bona fide putant, se in aliquo loco ubi transeunt, Sacrum reperturos, quod audiant, et postea non reperiunt. Pariter excusantur cursores, nautae, aurigae, aliqui iter facientes, qui die festo jam in via constituti, si Missam audiendo diu deberent morari, aut propterea magnas expensas facere aut negligere commodam occasionem longi itineris, v. gr. socios, cum ipsi viam ignorant vel pericula metuant; alias tenentur ad Missam, antequam iter aggrediantur, vel in itinere, ubi facilis datur occasio audiendi: Ita *Stoz.* L. 1. P. 3. q. 3. n. 260. cum *Bonac.*

485. Quaeres hic, an excusatus die dominica a Missa teneatur domi persolvere preces, quas alias sub Sacro recitat? R. Ad preces quidem determinate non tenetur; satis probabiliter tamen ex sententia *S. Augustini* serm. 251. de temp. non sufficit sola omissio operum servilium, sed requiritur cultus Dei positivus, quo dies Domini sanctificetur: *Observemus, ait s. Doctor, diem dominicum, et sanctificemus illum.... qui vero hoc non potest, publice in Ecclesia, saltem in domo sua ore, et non negligat Deo solvere votum et reddere pensum servitutis suae.* Aliis placet affirmare, quod si quis legitime impeditus sit ab audizione Sacri, abstinere a servilibus ea intentione, ut colatur Deus, qui in sabbato quievit, sufficiat.

CAPUT IV. *De Sacramento Poenitentiae.*

ARTICULUS I. De actibus Poenitentis.

§. 1. *Praenotanda.*

486. I. Poenitentia dicta est a *poena* sive *poenae tenentia*, eoquod non tantum consistat in agnitione peccatorum commissorum et proposito, ea non amplius committendi; sed etiam in dolore animi se ipsum afflagentis vel punientis, vel ob mala commissa, vel bona omessa. Nec vox graeca *μετάνοια* solam resipäsentiam significat, sed etiam dolorem ex facto antea perpetrato una cum seria emendatione, uti hanc vocem explicat *Petrus Mintert* Minister in *Heerle* in suo Lexico graeco-latino. Ipsa s. Scriptura, et ss. Patres, dum de Poenitentia loquuntur, mentionem faciunt doloris, afflictionis et poenae. Sic *Joelis* 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu.* Et *Jobi* ult. *Idcirco me ipsum reprehendo et ago poenitentiam in farilla et cinere.* Notissima est sententia *S. Ambrosii* relata in C. 1. Dist. 3. de Poenit. *Poenitentia est mala praeterita plangere et plangenda iterum non committere.* Eadem est mens *S. August.* in L. de vera et falsa Poenit., ut refertur c. 1. ibid.: *Poenitentia est quaedam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisso.* Alias etiam Poenitentia dicitur *compunctionis cordis*, juxta illud *Ps. 4.*: *In cubilibus vestris compungimini.* Alias vocatur *contritio* juxta *Ps. 50.*: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicias.*

487. II. Poenitentia sumitur 1. pro virtute. 2. pro Sacramento. Sumpta pro virtute est virtus moralis infusa, disponens peccatorem ad dolorem et detestationem peccati a se commissi, quatenus est offensa Dei, et ad efficax propositum vitandi peccatum et satisfaciendi divinae justitiae. Ita *Antoine Tr. de Poenit.* Offensa activa in genere est laesio seu irritatio voluntatis alterius, qua nimur aliquis alteri motivum seu jus praebet ad disiplacentiam, aversionem vel iram. Passiva vero est ipsa disiplentia, aversio, ira vel odium adversus offendentem. Injuria in genere est laesio injusta juris alterius rationabiliter inviti. Ita *Sporer* P. 3. C. 1. Sect. 1. n. 4. Dixi primo, est *virtus*: virtus enim est habitus electivus secundum rectam rationem; atqui recta ratio exigit, ut quis de malo commisso doleat, illudque detestetur et ad meliorem frugem se convertat, et si quem laeserit, ei satisfaciat: ergo. Dixi secundo, *moralis*: quia non habet Deum pro objecto immediato ac formali, sed satisfactionem ipsi debitam. Vide de hoc *S. Th.* 3. P. q. 85. a. 3. ad 1. Dixi tertio, *infusa*; virtus enim naturalis et acquisita non disponit ad justificationem, nec tendit ad reconciliandum hominem cum Deo, sed requiritur virtus supernaturalis. Confirm. ex *Jerem.* c. 31. v. 19. *Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam: et Act. 11. v. 18. Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.* Trid. sess. 6. Can. 3. ita statuit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Porro etsi poenitentia ante justificationem non infundatur quoad habitum, juvat tamen ad actum, quatenus peccator movetur ad poenitentiam per gratiam Spiritus Sancti disponentis ad justificationem; in ipsa autem justificatione cum gratia sanctificante infunditur habitus poenitentiae, tum ad dolendum de peccatis jam remissis, quoties eorum memoria recurrit, tum ad expungendum reatum poenae temporalis, tum contra peccata venialia, quae sicut quotidiana sunt, ita quotidiana indigent poenitentia. Plura vide in Theol. Schol.

488. III. Poenitentia ut Sacramentum (de qua sola hic agitur) est Sacramentum N. L. institutum a Christo ad peccata post baptismum commissa remittenda vere contrito et confessio per absolutionem Sacerdotis. Quod sit Sacramentum, est de fide, ut patet ex *Trid. sess. 14. Can. 1. de Sacramento Poenit.*: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiae Sacramentum non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo D. N. institutum, anathema sit. Confirm.* Poenitentia habet omnia requisita ad verum Sacramentum. 1. Adest *signum sensibile*, scil. confessio ex parte poenitentis, et absolutio ex parte Sacerdotis. 2. Habetur institutio divina hujus signi, imo et mandatum hujus ritus *Joan. 20. v. 21. Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* De hoc *Trid. sess. 14. Can. 1. ait: Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecepit instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos dicens: Accipite Spiritum S. etc.* Promissio potestatis absolvendi insinuatur *Matth. 16.*, ubi Christus promisit Petro, se illi daturum claves regni coelorum, et quocunque ligaverit aut solverit super terram, sit in coelis ligatum et solutum: idem promissum extendit ad Apostolos *Matth. 18.* Hinc potestas Confessarii vocatur etiam *potestas clavium*, quae duplex est, scil. remittendi vel retinendi peccata. 3. Adest promissio invisibilis gratiae, scil. remissio peccatorum: *remittuntur eis.* Unde si quaeras, in quo genere signi hic ritus a Christo sit institutus? R. In genere judicii reconciliativi. Differt poenitentia a judiciis forensibus per hoc, quod illa tendant ad puniendum reum, sintque judicia vindicativa, poenitentia vero ad absolvendum reum, sive ad reconciliandum peccatorem cum Deo, quem offendit. Porro *Trid. sess. 14. Can. 9.* ita definit: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium promuntiandi, et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum ... anathema sit.* Ex his colligitur differentia inter poenitentiae virtutem et Sacramentum, scil. poenitentia *ut virtus* includit tantum tria: 1. Dolorem et detestationem peccati commissi. 2. Resipiscientiam sive propositum non peccandi. 3. Satisfactionem pro peccato. Ut autem est *Sacramentum*, praeter haec includit ex institutione Christi confessionem, absolutionem, et satisfactionem non ad arbitrium poenitentis, sed dictatam ab absolvente.

489. IV. *Materia remota* Sacramenti poenitentiae sunt peccata commissa post baptismum: *materia proxima* sunt actus poenitentis, scil. dolor, confessio, satisfactio: dolor quidem et confessio sunt partes essentiales, satisfactio vero est pars integralis. *Forma* est absolutio. Vide *Trid. sess. 14. C. 3.* *Minister* hujus Sacramenti est solus Sacerdos. *Trid. ibid. C. 6.* et *Can. 10.* *Effectus* hujus Sacramenti sunt remissio culpae et poenae tum aeternae, tum temporalis saltem quoad partem: item recuperatio et augmentum gratiae sanctificantis una cum specialibus auxiliis, sive gratis actualibus ad evitanda peccata, ad vincendas tentationes et ad proficiendum in virtutibus. Adde ex *Trid. sess. 14. C. 3.*, quod reconciliationem cum Deo in iis, qui cum devotione hoc Sacramentum percipiunt, conscientiae pax et serenitas cum vehementi consolatione consequi soleat. His praesuppositis agemus in seqq. paragraphis de officio poenitentis.

§. II. *Principia practica de primario officio, sive praecipuo actu Poenitentis, h. e. de Dolore.*

490. Princ. I. *Ad valorem et effectum Sacramenti Poenitentiae requiri-*

tur contritio formalis vel perfecta, vel imperfecta, interna, supernaturalis, universalis saltem respectu mortalium, appretiative summa, et efficax sive conjuncta cum serio proposito non peccandi.

Dixi primo, requiritur contritio, h. e. dolor animi et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero, ut docet *Trid. sess. 14. C. 4.*

491. Dixi secundo, *formalis*, h. e. talis detestatio, quae excludat peccatum ut praeteritum, velitque illud nunquam fuisse commisum, talisque dolor, ut contristetur animus de peccato apprehenso ut praesente; *formalis* autem expresse ideo requiritur, quia *Trid. sess. cit. Can. 1.* definit, contritionem esse partem hujus Sacramenti, quam *C. 4. cit. definiverat* esse dolorem ac detestationem peccati, adeoque intelligit contritionem formalem, non virtualem, qualis includitur in actu amoris Dei. *Confirm.* ex eo, quod sine contritione formalis nec homo dicatur poenitens, nec confessio sit vera et ordinata sui accusatio ad reconciliandum offensum. Hanc sententiam *Amicus, Tannerus, Dicast., Platelius* hic n. 63. vocant certam. *Suarez* in 3. p., *D. Th. D. 20. Sect. 1.* putat, oppositam esse hoc tempore improbabilem et temerariam, quae docet, sufficere voluntatem confitendi et recipiendi absolutionem, dummodo poenitens nullum actum habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adhaereat; eoquod (ut cum *Sylv. V. Confessio* quidam ajebant) ipsa voluntas confitendi sit quaedam virtualis poenitentia, quia est voluntas abjiciendi peccatum et recuperandi divinam gratiam.

492. Dixi tertio, *vel perfecta, vel imperfecta.* *Perfecta* est, quae elicitor ex motivo charitatis theologiae, sive ex amore benevolentiae, v. g. *Doleo, quod peccando Deum offenderim, quem tamquam summum bonum propter se ipsum super omnia diligo.* Haec perfectior est dispositio, sed non necessario requisita ad Sacramentum poenitentiae. *Imperfecta* (quae etiam attritio dicitur) est, quae juxta *Trid. l. c. C. 4.* communiter elicitor vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennae et poenarum metu, v. g. *Doleo quod peccaverim, quia peccando rem turpem, rationi ac virtuti tam repugnantem feci, vel quia infernum (peccando mortaliter) aut alias graves poenas a Deo justissimo peccatorum vindice promeritus sum.* Haec sufficit ad Sacramentum poenitentiae. *Prob.* ex *Trid.* quod sess. 14. C. 4. docet, attritionem, quamvis sine Sacramento poenitentiae per se ad justificationem perdulcere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponere: neque potest intelligi, quod remote tantum disponat, quemadmodum actus aliarum virtutum; quia sic etiam disponit extra Sacramentum; ergo in Sacramento disponit proxime. *Confirm.* 1. Idem *Trid. l. c. C. 3.* docet, contritionem in genere, prout praescindit a perfecta et imperfecta, esse materiam et partem Sacramenti, postea *C. 4.* dividit in perfectam et imperfectam agens constanter de partibus hujus Sacramenti: ergo satis clare docet, attritionem esse sufficientem partem poenitentiae sive eam sufficere ad justificationem in Sacramento poenitentiae obtainendam. Hanc sententiam *Suarez* l. c. vocat hoc tempore, scil. post *Trid.* certam. *Pinthereau* pro sufficientia attritionis recenset 100 gravissimos AA. *Gormaz.* P. 1. post n. 446. refert plures, quam 160, qui sufficientiam attritionis tueruntur. *Confirm.* 2. ex *Bened. XIV.* testimonio, qui circa controversiam de attritione, an necessario debeat includere amorem benevolentiae saltem inchoatum, *C. 13. L. 7.* saepius laudati operis de Synodo Diocesana sub finem ita habet: *Cum itaque versemur in quaestione ab Ecclesia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maii 1667. sub poena excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae preecepit: „ut, si deinceps de*